

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Hardt, 1593

VD16 ZV 27950

H. ZANCHII SVPPPLICATIO QVAM POST COMPOSITIONEM, REVERSVS EX FINIBVS
ITALIAE, AMPLISSIMO SENAtui offerre decreuerat: sed postea ne denuo
paxturbaretur, non obtulit: cum explicatione articulorum ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561



H. ZANCHII

SVPPPLICATIO QVAM
POST COMPOSITIONEM, REVER-
SVS EX FINIBVS ITALIAE, AMPLISSIMO SENA-
tui offerre decreuerat : sed postea ne denuo pax turbare-
tur, non obtulit : cum explicatione articu-
lorum Concordia.



VANTA fuerit ab eo tempore quo vester sum ciuis, mea erga vos, clarissimi Domini, obseruantia: quantū sue meus erga Scholam vestram amor: si non aliunde, hinc saltem colligere potestis: quod cum multæ, eæque honorificæ conditiones mihi non semel oblata sint, tam in Germania, quàm extra Germaniam: vos tamen semper omnibus alijs prætuli. Et licet sepe numero multa nimis graua incommoda, quæ hic passus sum: inuidiæ etiam, & odia multorum hominum, quæ hic sustinere coactus fui, me aliò propellerent: nunquam tamen vos, Scholamq; vestram deferere potui. imò cum potuerim cum honore & magno commodo meo, omnibus ijs animi molestijs me liberare, & aliò, quò scilicet vocabar, cōcedere, scriptisq; & me, & estimationem meam defendere: nolui tamen, cum propter honorē ciuitatis, tum propter amorem Scholæ quidpiam horum efficere. Ceterum æquum etiam est, vt qui vos amant, à vobis redamentur: & quibus vester honor cordi est, eorum etiam estimationem vos defendatis, aut saltē ab ijs quorū interest, defendi sinatis: cum in hunc præcipuē finem datus sit vobis à Deo gladius, vt innocētum non minùs dignitatē & famā, quàm vitā & facultates defendatis. Nūc quorsum hæc, benignè, rogo, audiat.

Inter redeundum ex finibus Italiæ, partim ex auditis multorum sermonibus, partim ex lectis amicorum literis: deprehendi duo præcipua calumniarum genera, post & propter compositionem illam quæ inter Pastores & Professores vestros proximo mense Martio facta fuit, cum de alijs meis collegis, tum speciatim de me, per Germaniam atq; Heluetiam sparsa fuisset: nimirum me, & illa causa, quæ biennium controuersa fuerat, tandem cecidisse: & à priori, eaque recta, cum de cœna Domini, tum de Prædestinatione & Perseuerantia Sanctorum sententia, hac in articulos novos consensione recessisse: ita vt quidam ausi fuerint dicere, mihi opus esse non noua explicatione, sed aperta & publica retractatione. Ego verò etsi non parum dolebam has in vulgus spargi calumnias: confidebam tamen fore, vt sicut multas alias vuculas, sic etiam has duas, meras fuisse calumnias, omnes tandem apertè cognoscerent.

Ac quod primum calumniæ genus attinet: ago gratias Deo optimo & maximo, quòd cum multi alij tum vos prudentissimi Domini mei, optimè nostis, de mea doctrina quid doctissimum nostrum Thomense Consilium senserit: quid multæ celeberrimæ Academiæ: piæque Ecclesiæ iudicarint: quid denique ipsi etiam compositores, ad vos totumque Senatum retulerint: eam nimirum neque nouam esse neque hæreticam. Quomodo verò tandem cecidi causa: cum de ea neque vllum vnquam habitum fuerit inter partes colloquium aut disputatio: neque vllum factum sit à Compositoribus iudicium, aut pronuntiata sententia?

Quòd

Quòd autem nihil horum, quæ non solùm semper desideravi, verùm etiam non semel postulavi, nimirum ut doctrina controuersa aut Scholastica disputatione discuteretur, aut amico colloquio explicaretur, aut sapientum arbitrorum iudicijs definiretur, assequi potuerim: hoc ipsum non ita ægrè fero, ut de Dominis meis vllò modo conqueri aut velim aut possim. Noui enim vestram, & totius Senatus pietatem, noui prudentiam: noui denique vestram erga ministerium Ecclesiasticum reuerentiam: ita ut sit apud me extra controuersiam, Senatum non sine rationabili causa noluisse ut aut partes committerentur: aut certa sententia de rebus controuersis pronunciaretur.

De conuitijs in me dictis & scriptis, de quæ factis iniurijs, quòd nullam unquam quæsierim vindictam neque priuatam, neq; publicam: non est, cur ideò quispiam me vilem, honoris quæ mei neglectorem appeller: cùm hoc potius mihi maxima ducam laudi, quòd exemplo cælestis Patris, iniurias omnes de principio propter Christum condonarim. non enim iubet Apostolus nos esse imitatores mundi, sed Dei, qui propter Christum nostra nobis peccata non imputat. Nihil igitur est (ut vos videtis) cur quispiam iacet, me causa cecidisse, quæ nunquam fuit aut disputata aut iudicata.

Quod autem attinet ad alterum calumniæ genus, nempe, me mea subscriptione, à recta priori sententia recessisse: principio gratias ago Deo, quòd neminem hîc latet quantum & quamdiu, nimirum verè ad extremum vsque, restiterim ne propositis articulis subscriberem: id quæ non propterea quòd articulos illos, omnino impios esse iudicarem (imò non semel testatus sum, si habeant æquum interpretem: nullius apertæ impietatis damnari posse) sed alijs multis ijs quæ grauissimis de causis: quarum non postrema hæc fuit, quòd metuebam ne hac mea subscriptione multi pij offenderentur, non pauci imperiti in sua imperitia confirmarentur: & alij ad me (quemadmodum iam re ipsa experior) infamandum, alij ad simpliciores seducendos abuterentur. Deinde verò quòd tandem subscribere non recusarim: protestor, me id non fecisse quòd vllus mihi animus fuerit, à priori, eaq; recta sententia vel latum vnguem discedere: sed tantùm sincero pacis atque concordie studio adductum, subscripsisse. malui enim aliquam etiam fortè meæ estimationis apud vulgus & homines malè iudicantes, iacturam facere, quàm Scholæ atque Ecclesiæ pacem communionem quæ ego vnus inter tot tantos quæ viros, qui huius pacis atque concordie gratia ad subscribendum accesserant, impedire. Ad hoc verò illa me animabant, quæ à Dominis compositoribus non ego solus, sed alij quoque nonnulli mei collegæ non semel audiueramus, partem aduersam, totam quidem de Prædestinatione de quæ Perseuerantia doctrinam, quam post S. literas D. Augustinus, Lutherus, Bucerus tradiderunt, admittere: ita ut nihil in ea superesse discordie inter nos, iudicarent: de Cæna verò eam quam post concordiam Bucerus scriptam reliquit, minimè reijcere: nullum etiam hac subscriptione, doctrinæ controuersæ præiudicium fieri. mihi quoque licere coram omnibus protestari: & se semper, cùm opus foret, daturo testimonium meæ protestationi. Porro ipsa protestatio quam palàm coram omnibus ad compositionem deputatis, alijs quæ multis grauissimis viris feci: satis luculenter docet, me à priori doctrina nihil recessisse. fuit autem hæc. I. Me nolle ut hac mea subscriptione vllum fiat alijs Ecclesijs atque Scholis ipsique veritati, præiudicium. II. Ne quidpiam derogetur doctrinæ quam ego per octennium in hac Schola docui, quæ quæ in meis lectionibus, disputationibus, confessionibus continetur. III. Postremò, ut mihi liceat tum hos articulos, tum Confessionem Augustanam, Apologiam, & articulos concordie, quorum omnium in formula illa doctrinæ mentio fit: interpretari & explicare iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri, Bucer. Hæc fuit

mea protestatio, quam etiamnum confirmo, & ratam esse volo. Postremò formula meæ subscriptionis, annon satis liquidò indicat, utrùm à priori piaque sententia cum de Prædestinatione & de Cœna Domini, tum de alijs articulis doctrinæ Christianæ discesserim, necne? Subscriptionis formula hæc fuit: *Hanc doctrinæ formulam, ut piam agnosco, ita etiam recipio ego Hieronymus Zanchius.* Hac usus sum subscriptionis formula, non astuta malitia aut dolo: sed tantùm ut indicarem, me non aliter formulam doctrinæ recipere, nisi quatenus ego ipse piam esse illam iudicarem. Et si enim subscribebam Confessioni Augustanæ, Apologiæ & Articulis: non subscribebam tamen iuxta aliorum, sed iuxta meam, quam etiam veram ac piam esse censeo, interpretationem: eademque planè est hæc subscriptio (ad sensum quod attinet) cum illa qua etiam aliàs subscripsi Augustanæ Confessioni, cum hac exceptione: *Modò orthodoxè intelligatur*: id quod quivis vel medioeriter doctus, facile videre potest. Eò autem libentius hac subscriptionis forma usus sum, quòd illa iudicaui, tum conscientia meæ satis fuisse consultum: tum omnibus pijs, si qui fortè (ut fieri in ijs rebus solet) sinistri sermones de me spargerentur in vulgus, satisfieri: tum denique calumniatoribus omnibus ora occludi facile posse. Ac reuera contigit id quod longè antè prævideram: multos scilicet offensum iri hac mea subscriptione, multos etiam sinistros de me sparsum iri rumores. Sunt enim qui putent me contra conscientiam subscripsisse: sunt contra, qui iudicent, me verè priorem sententiam mutasse. Et si igitur mea subscriptio satis apertè indicat, me à priori sententia non deflexisse, ac proinde minimè etiam contra conscientiam subscripsisse: cogor tamen apertius eam explicare: ut si non omnibus in præsentia, vobis saltem & toti amplissimo Senatui, si qui fortè sint, qui aliquid sinistri de me sunt suspicati: quod in me est, satisfaciam: & non solum qua conscientia & mente, sed etiam in quem sensum illam doctrinæ formulam admiserim, aperiàm: ac proinde vos ipsi intelligatis, et si quemadmodum hætenus feci, sic etiam posthac à quæstionibus inutilibus abstinere mihi animus est: doctrinam tamen aliam me non traditurum, quàm hucusque etiam tradiderim: doctrinam inquam è sacris Scripturis hæustam, Patrum testimonijs confirmatam, & cum aliorum præclarissimorum nostri temporis hominum, tum beatæ memoriæ, Martini Bucer, & aliorum huius Scholæ doctorum, Commentarijs explicatam, & vestris Confessionibus consentaneam. Neque verò est cur doctrinam mutem: cum quòd doctorum virorum iudicio, aut nouum aut hæreticum meritò appellari possit, nihil in ea adhuc sit deprehensum. Accipite igitur meæ subscriptionis explicationem.

Explicatio subscriptionis.

Hanc doctrinæ formulam, hoc est, eam de religione doctrinam, quæ in Augustana Confessione eiusque Apologia, quæve in articulis Concordiæ inter Lutherum & Bucerum: quæ denique in articulis nostrorum Compositorum de Prædestinatione traditur: *ut piam agnosco*, hoc est, quemadmodum ego illam agnosco & iudico esse piam: *Ita etiam recipio*, hoc est, ad eundem modum & sensum illam recipio, secus verò minimè. Agnosco autem & iudico ego eam esse piam, si ita intelligatur quemadmodum mox explicabo. In eum igitur sensum, & non alium, doctrinam illam recipio & admitto.

Ac primùm quidem, quod attinet ad doctrinam Augustanæ Confessionis, eiusque Apologiæ de omnibus dogmatibus, & articulorum Concordiæ inter Lutherum & Bucerum de Cœna: totam illam piam esse iudico, si isti obscuriores loci, quos

Ei, quos mox subiiciam, ita explicentur vt deinceps videbitis. Quod verò attinet ad partem Confessionis Augustanæ de cæremonijs, seu externis ritibus: sicut eam maiores vestri non receperunt, ita nequē ego recepi aut recipio.

ARTIC. V.

Damnatur item fanatici spiritus qui fingunt, Spiritum sanctum dari, aut efficacem esse sine verbo Dei.

Si aliquis hoc dictum ita intelligat vt in vniuersum neget, cuiuspiam mortali-um Spiritum sanctum contingere sine verbo audito: non recipio, quod pugnet tum cum S. literis, vbi legimus nonnullos antequam audire possent verbum, fuisse in v-teris etiam matrum sanctificatos: tum cum fide Christiana, qua credimus, infantes electos cum baptizantur, non aqua solum baptizari, sed etiam Spiritu regeneratio-nis donari. Si quis autem intelligat dictum hoc de adultis hominibus, & ordinariè, ijs scilicet Spiritum S. non contingere, sine verbo Dei externo audito: piū agno-sco, & vt piū recipio. est enim fides ordinariè, & in adultis, ex auditu: auditus au-tem, per verbum Christi, Rom. 10. Proinde iure damnantur qui aliter docent: præ-ferim verò qui docent, Spiritum S. contingere hominibus per ipsorum præpara-tiones & opera: vt habet alia editio.

ARTIC. IX.

De baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, tanquam (vt alia addit editio) ce-remonia à Deo instituta.

Hic articulus si ita intelligatur, quasi nemo prorsus saluari queat nisi aqua baptizetur: non agnosco piū, quod pugnet cum Sacris literis, historijsque Eccle-siasticis. Si verò intelligatur aquæ Baptismus ita necessarius esse, vt qui illum con-temnit, atque reijcit, saluari nequeat: articulum hunc piū esse agnosco. Cum e-nim sit ceremonia à Deo instituta, & Christus mandarit, omnes baptizandos: qui Baptismum respuit, mandatum Christi contemnit, & sciens ac volens peccat: sti-pendium autem peccati, mors est. Neq; aliter intelligi debet articulus iste, si de sin-gulis hominibus sit sermo. Quod verò ad vniuersam Ecclesiam attinet: simpliciter necessarium illum esse agnosco: cum sine baptismo Ecclesia esse non possit.

ARTIC. X.

De Cæna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuuntur vescantibus in Cæna Domini, & improbant secus docentes.

Item alia editio.

De Cæna Domini docent, quod cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Chri-sti vescantibus in Cæna Domini.

Apologia verò sic:

Decimus articulus approbatus est: in quo confitemur nos sentire, quod in Cæna Do-mini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam con-stanter defendimus, re diligenter inquisita & agitata. Cum enim Paulus dicat, Panem esse participationem corporis Domini: sequeretur, panem non esse participationem corporis, sed tantum Spiritus Christi, si non adesset verè corpus Domini. & comperimus, non tantum

Romanam Ecclesiam affirmare corporalem praesentiam Christi: sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam: id enim testatur Canon Missæ apud illos: in quo aperte orat sacerdos, ut mutato pane ipsum corpus Christi fiat. Et Bulgarius, scriptor (ut nobis videtur) non stultus, disertè inquit, Panem non tantum figuram esse, sed verè in carnem mutari.

Post recitatam Cyrilli sententiam, subdit:

Hæc recitauimus, non ut hic disputationem de hac re institueremus (non enim improbat hunc articulum Cæsa. Maiestas) sed ut clariùs etiam perspicerent, quicunque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quòd in Cæna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi: & verè exhibeantur cum his rebus quæ videntur, panem & vino: & loquimur de præsentia vini Christi. scimus enim quòd mors ei ultra non dominabitur.

In articulis verò Concordiæ sic legimus.

1. *Constituentur, iuxta verba Irenæi, constare Eucharistiam duabus rebus: terrena & celesti. Itaque sentiunt & docent, cum pane & vino verè & substantialiter adesse & exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem.*
2. *Et quanquam negant fieri Transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in panem, aut durabilem coniunctionem extra usum Sacramenti: tamen concedunt, Sacramentali unione, panem esse corpus Christi: hoc est, sentiunt porrecto pane, simul adesse & verè exhiberi corpus Christi: nam extra usum, cum asseruatur in pyxide, aut ostenditur in processionibus (ut sit à Papistis) sentiunt non adesse corpus Christi. (Quomodo igitur semper ubique præsens est?)*
3. *Deinde hanc institutionem Sacramenti sentiunt valere in Ecclesia, nec pendere ex auctoritate ministri aut sumentis. Quare sicut Paulus ait, etiam Indignos manducare: ita sentiunt, porrigi verè corpus & sanguinem Domini, etiam indignis, & Indignos sumere ubi seruantur verba & institutio Christi. Sed tales sumunt ad iudicium, ut Paulus ait: quia abutuntur Sacramento, cum sine pœnitentia & sine fide eo utantur. Ideo enim propositum est ut testetur, illis applicari beneficia Christi, & fieri eos membra Christi, & ablui sanguine Christi, qui agunt pœnitentiam & erigunt se fide in Christum.*

Duo sunt præcipua capita in verbis tum Confessionis Augustanæ, tum Apologiæ, tum articulis concordiæ inter Lutherum & Bucerum de Cæna Domini, mihi, quomodo ea probare, aut non probare possim, explicanda: Vnum est de Præsentia corporis Christi in Cæna, alterum, de Manducatione Indignorum.

Ad primum quod attinet: ego articulum Augustanæ Confessionis de præsentia corporis Christi in Cæna, quatenus à Papistis (ut refert Apologia) confirmatus fuit: nullo modo probare possum, propterea quòd articulum illum non alia de causa probarunt Papistæ, quàm quòd iudicarunt ibi statui eam corporis Christi præsentiam quam & ipsi fingunt, nempe quæ fit per mutationem substantiæ panis, in substantiam veram corporis Christi. Proinde quòd etiam Apologia probare videtur sententiam præsentis Romanæ & Græcæ Ecclesiæ de corporali præsentia Christi: Ego minime probare possum, quòd vtraque sentiat non aliter corpus Christi esse præsens, quàm per transsubstantiationem. Quare non immeritò mentio canonis, ubi sacerdos orat ut panis fiat corpus Christi: & sententia Bulgarij quæ dicit Panem in carnem mutari: in posterioribus Apologiæ editionibus sublatae sunt. Deinde etiam non probo neque pium esse agnosco, si quis talem præsentiam corporis Christi imaginetur, ut illud dicat sua naturali substantia, seu (ut loquuntur Scholastici) secundum suum Esse naturale, aut esse ubique diffusum atque extensum, aut è cælo

In locum vbi celebratur Cœna, descendere, & se pani ita vnire, vt verè localiter, inclusiue, aut vlla alia ratione physica, in pane, sub pane, vel circa panem esse dicatur: quòd hæc crassa præsentia pugnet cum natura corporis Christi, & cum articulo fidei, *Ascendit ad cœlos*. Si quis verò verba Confessionis Augustanæ & Apologiæ de Præsentia corporis Christi in Cœna, ita interpretetur, vt sentiat corpus Christi ideò verè & substantialiter dici adesse seu esse præsens in Cœna, non solum, quia mentibus fidelium præsens est, dum ab illis verè & realiter, fide percipitur: sed etiam, quia vnà cum Symbolis, in rei veritate omnibus offertur: articulum Confessionis & Apologiæ de Præsentia corporis Christi vera & substantiali, pium esse agnosco, & vt pium recipio. Rem enim aliquam tunc dicimus esse nobis præsentem, cum sese nobis aliquomodo communicandam præbet, & à nobis participatur, etiam si non paruo loci interuallo à nobis distet: quemadmodum in Sole videre est. Cum supra nostrum hæmisphærium est, tum dicimus eum nobis, hoc est, sensibus nostri corporis, verè & substantialiter esse præsentem. quamobrem? quia suum verum & substantiale corpus, & per illud suum splendorem atque calorem nobis communicandum præbet, & nos reuera participes illius fimus. cum verò ad aliud hæmisphærium progressus, nobis seipsum non ampliùs communicat: tum dicimus, illum abesse & absentem esse. Et concionator dicitur præsens esse omnibus illis, à quibus videtur & auditur, tam illis qui propius, quàm illis qui magis è longinquo illum vident atque audiunt. Quibus exemplis perspicuum fit, magnum esse discrimen inter alius rei præsentiam aut absentiam: & inter eiusdem rei localem propinquitatem aut longinquitatem. Præsentia, est ipsa rei quæ præsens esse dicitur, communicatio, siue res illa sit propinqua loco, siue procul distet ab eo cui communicatur. Absentia, est priuatio communicationis àlicuius rei, etiam si loci interuallo propinqua sit ei, cui non communicatur. Est autem extra controuersiam, verum & substantiale corpus Christi non solum mentibus fidelium in Cœna communicari, & ab ipsis sua manu atque ore, hoc est, fide, recipi & manducari, tametsi cœlo non moueatur: verum etiam omnibus cœna communicantibus, verè & secundum suam substantiam offerri.

In hunc igitur sensum inficiari non possum, quin corpus Christi in Cœna sit verè & substantialiter præsens. Hoc etiam modo meam de Præsentia corporis Christi sententiam coram ipsis quatuor Theologis compositoribus explicauit, eaq; recepta fuit. Tametsi igitur in causâ religionis abhorream à locutionibus & vocibus exoticis, hoc est, quæ in Scripturis non vsurpantur: propter concordiam tamen non damno has voces & locutiones, quibus tum confessio Augustana, tum ipsa Apologia vtuntur: nempe corpus Christi *verè* (vt habet confessio) & *substantialiter* (vt addit Apologia) adesse, seu præsens esse in cœna dūmodo eo quem declarauit, modo, explicetur. Sic etiam Bucerus post concordiam, cum alibi tum in confessione de cœna, dicta in hac Schola Argentinensi anno 44. hunc Augustanæ Confessionis de Præsentia corporis Christi vera & substantiali, in Cœna, articulum interpretatus est.

Ac primum non esse præsentem, quatenus eius corpus sit vbique diffusum, docet Propositio vigesima: *DEFINITVM autem corpus Domini, & non vbique diffusum, credere & fateri Scriptura præcipit, quæ verum hominem prædicat, & ascendisse supra omnes cœlos, & ita rediturum, vt ascendit.*

Deinde non esse præsentem, quatenus corpus in locum vbi celebratur cœna, è cœlo descendat, & ita se vniat pani, vt sit in pane, circa panem, sub pane: docet Propositio decima octaua: *ABSURDA*, inquit Bucerus, & dissentanea fidei quæ hîc occurrunt, suggesta à ratione carnis: sic repello, Corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum, ita in sancta Cœna exhiberi, percipi, adesse: vt nec moueatur loco, nec includatur loco, nec distrahatur locis, nec commisceatur

aut

aut alligetur Symbolis vlla ratione huius seculi, nec attingatur sensu vel ratione: non fiat cibus ventris: non patiatum aliquid huius Mundi. Ad ipsum enim, in se, sola mens subleuata fide, pertingit. His postremis verbis docet etiam illud quod supra dixit, Corpus Christi in Cœna præsens esse non corporibus aut sensibus nostris: sed tantum fidelium mentibus, quod ipsæ solæ suo ore, hoc est, fide illud percipiant.

Postremo, ideo dici verè adesse, quia & omnibus in Cœna verè comendum offertur, & à fidelium mentibus verè percipitur: docet propositio 22. VERVM quia etiam satisfaciendum est omnibus Christianis: quod me attinet, de mea circa hoc mysterium fide, si incido in aliquem qui veretur me non satis plenè confiteri exhibitionem & præsentiam Domini in Cœna: Ego illi simpliciter expono quod sentio, VERE AC REIPSA dari ac percipi hîc, eoque verè adesse corpus & sanguinem Domini: ac verum corpus, id scilicet quod traditum est pro nobis, & verum sanguinem, nimirum qui pro peccatis nostris effusus est, si quidem ex institutione Domini, celebretur Cœna sacra, & verbis quibus sese exhibet, fides solida habeatur.

Alibi quoque eadem tradit, in Confessione anni 50. proposit. 20. *Est enim præsentia hîc Christi (sive verbo ea tantum, sive etiam Sacramentis offeratur aut testificetur) non loci, non sensus, non rationis, non terræ: sed Spiritus, fidei, calorum: quatenus in hos per fidem subuehimur, & collocamur cum Christo: eumq; in cælesti sua maiestate apprehendimus & complectimur, utcumque speculo & anigmate verborum & Sacramentorum sensibilibus, indicatum & oblatum.*

Item prop. 22. *Doceantur igitur dociles, præsentiam Christi in Cœna nullam haberi, nisi in legitimo eius usu, & quæ fide sola tum apprehenditur, tum tenetur.*

Item prop. 33. *Definitio igitur præsentiam, quæcumque à nobis percipitur vel Sacramentis, velex verbo Euangelij, tantum esse apprehensionem & fruitionem Christi Dei & hominis, ut nostri capitis regnantis in cælis, & manentis atque viuientis in nobis: quam nulla ratione huius seculi, sed fide percipimus ipsam, & fruimur oblatam verbo & Sacramentis: præsens enim dicitur secundum aliquam eius cui quis præsens dicitur, perceptionem.*

Item prop. 39. *Si quis vellet per Adesse Dominum realiter & substantialiter, intelligere, eum percipi fide, reipsa, & substantiam eius: darem: sin aliquid præsentie huius seculi vellet ijs vocibus admiscere, negarem: reliquit enim Dominus mundum hunc.*

Iuxta has Bucerii explicationes, articulum de vera & substantiali præsentia corporis Christi in Cœna: pium agnosco, & ut pium recipio. Sum autem protestatus, me velle, ut mihi liceat Augustanam Confessionem & Apologiam, & articulos Concordiæ, interpretari iuxta regulam verbi Dei, & explicationes cum Augustini, tum etiam Bucerii.

Denique ita interpretati etiam nuper mihi esse videntur Illustrissimi Principes & Status Imperij, Numburgi, in Præfatione ad Cæsar. Maiestatem. ibi enim ad verbum sic habetur. *Ac ne in suspensionem apud quenquam veniamus, quod reiecta transsubstantiatione, veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, negemus: testamur, non esse aliam sententiam nostram, quam quod in Cœna Domini nostri Iesu Christi exhibeatur & sumatur verum corpus & verus sanguis Christi, iuxta verba Euangelij, Accipite comedite: hoc est corpus meum: & quod Christus in instituto Cœnæ suæ usu, verè viuus, realiter & substantialiter præsens sit, & cum pane & vino iuxta institutionem suam nobis Christianis suum corpus & sanguinem exhibeat.*

Notandum quod aiunt Christum præsentem esse in usu Cœnæ à se instituto. Ergo docent, præsentiam Christi in Cœna pendere ab usu seu à perceptione, & in usu

vsu, seu in ipsa perceptione positam esse: ac proinde Christum eatenus esse præsentem, quatenus eo utimur, hoc est, illum percipimus. percipimus autem fide: hic est enim vsus Cœnæ institutus à Christo, ut scilicet cum accedimus ad mensam, non solum panem manu accipiamus: sed simul etiam fide vera credamus, corpus Christi traditum esse pro nobis, & sanguinem fustum in remissionem peccatorum: & illud corpus, illumque sanguinem nobis fruendum offerri & exhiberi: iuxta verba, Accipite, comedite: & hoc credentes, ipsum corpus & ipsum sanguinem Christi fide percipiamus & nobis incorporemus, nosque vicissim illi: nam qui accedunt sine vera fide ad Cœnam: non ea iuxta institutionem Christi utuntur, sed abutuntur. Si autem est præsens in vsu Cœnæ suæ à se instituto & non in abusu: non est ijs igitur verè præsens, qui etsi ad mensam accedunt, & panem accipiunt, fide tamen vera præditi non sunt, ideoque corpus Christi non recipiunt. Idcirco prudenter in articulis Concordiæ dicitur: *Patres illos non sentire, quòd extra usum adsit corpus Christi.* Qui ergo Cœna abutuntur, non habent propriè corpus Christi præsens. Accertè videntur mihi, Illustrissimi Principes illa sua explicatione ita sentire: eatenus præsens nobis esse corpus Christi in Cœna, quatenus nos Christi Cœna utimur, non abutimur: hoc est, quatenus non tantum panem accipimus, sed etiam iuxta institutionem Christi, corpus ipsum Christi, & sanguinem, pro nobis mortuum & effusum, fide apprehendimus & nobis applicamus. Si ita intelligant: iuxta hanc explicationem, articulum de reali, vera & substantiali præsentia corporis Christi, pium agnosco.

Ad alterum caput quod attinet: Augustana Confessio tantum habet, quòd corpus & sanguis Christi verè cum pane & vino distribuuntur vescantibus in Cœna. Hæc verba ita interpretor: quemadmodum cum verbo Euangelij verè omnibus qui illud audiunt, exhibentur à Christo inuisibiliter ea quæ verbo significantur, licet nullo loco moueatur: ita cum pane & vino in ipsa Cœnæ actione, ea quæ ijs repræsentantur, corpus scilicet & sanguinem Christi, licet loco non moueantur: verè tamen à Christo ipso omnibus qui pane Cœnæ vescuntur, inuisibiliter exhiberi. Sed quemadmodum in prædicatione Euangelij, licet omnibus qui verbum audiunt, res ipsæ percipiendæ exhibeantur, non omnes tamen res ipsas percipiunt, sed illi tantum qui vera fide verbo credunt: ita in actione Cœnæ, licet omnibus qui signa percipiunt, res per illa repræsentatæ, offerantur participandæ: non omnes tamen, sed illi tantum, qui vera fide præditi ad mensam accedunt, res ipsas, hoc est, corpus & sanguinem Domini percipiunt, & verè comedunt. Et iuxta hunc sensum, articulum hunc pium agnosco.

Apologia idem planè habet: corpus nimirum & sanguinem Christi, verè cum illis rebus quæ videntur, pane & vino exhiberi *Iis qui Sacramentum accipiunt.* Non ait percipi ab ijs omnibus qui Sacramentum accipiunt: sed *Exhiberi.* Discrimen igitur facit inter Exhiberi, hoc est, offerri percipiendum, & inter Percipi.

In articulis autem concordiæ scribitur: *Etiam indignos sumere & manducare (nempe corpus Christi) sed tales sumere ad iudicium: quia sine pœnitentia & fide Sacramento utantur.*

Quatuor sunt hominum genera, qui ad mensam Domini accedere possunt. Quidam sunt planè impij & infideles. Si quis igitur nomine Indignorum intelligat homines planè infideles atque impios: & hos, si ad mensam Domini accedunt, sentiat, cum pane verum etiam Christi corpus accipere & manducare: doctrinam hanc probare non possum, quòd de ijs nullo modo loquatur Apostolus, cum ad Corinthios Christianos scribens, ait, *Qui manducat indignè: iudicium sibi manducat.* Si quis tamen hos dicat manducare corpus Domini, quatenus panis Cœnæ, quem manducant, propter unionem Sacramentalem corpus etiam Domini appel-

appellatur: locutionem hanc impiam esse, minimè agnosco. Sunt alij contrà planè pij & verè fideles, qui etsi labuntur nonnunquam in peccata: dolent tamen & resipiscunt, studentq; perpetuò sanctitati & innocentia, neque accedunt ad mensam Domini nisi & cum vera resipiscencia & conscientia probata & fide excitata, menteque attenta, hos verè accipere & manducare corpus Domini, idque ἀξίως & ad salutem: extra controuersiam est. Sunt alia duo hominum genera media. Quidam sunt, qui cum fidem tantum habeant vel planè mortuam, vel temporariam, etsi illa fide utcumque videntur credere tum toti verbo Dei, tum speciatim verbis Cœnæ: verè tamen non credunt, cum & flagitijs vel manifestis vel occultis scateant, & pœnitentiam non curent. Si quis igitur nomine indignorum hos intelligat: ac sentiat, hos sua mente & per suam illam non veram fidem corpus Christi utcumque accipere & utcumque manducare, hoc est, in os mentis ponere & degustare: non autem in ventriculum cordis ad salutem trajcere ac retinere, ideoque iudicium potius, quàm corpus Christi propriè sibi manducare: doctrinam hanc haud agnosco esse impiam: cum & Apostolus de omnibus qui erant in deserto, scribat, omnes eandem escam spiritualementem, nempe Christum (iuxta multorum interpretationem) manducasse, nimirum sua quæque fide, qui vera, eos verè & ad salutem: qui non vera, eos non verè, ideoque Sacramento tenus (ut loquitur Augustinus) & ad condemnationem manducasse. ac proinde etiam si omnes eandem escam spiritualementem, sed diuerso fidei genere manducarunt: non omnes tamen probatos fuisse Deo. Si de ijs quis velit intelligere articulum hunc, cum dicitur in articulo concordia, istos sine fide uti Sacramento: intelligendum est, sine fide vera & viua. Postremò sunt qui etsi verè pij sint, veraque & viua fide præditi, crassioribusque vitijs & grauioribus sceleribus non se facile sinant contaminari: in reliquis tamen peccatis vitandis, & Christiana vita traducenda, remissiùs agunt: & cum in leuiora labuntur peccata, non admodum illis punguntur: proinde cum accedunt ad mensam Domini, accedunt quidem cum fide vera, sed non satis excitata, nec satis discussa conscientia, neque satis attentamente considerant quid illud sit quod accipiunt, & in quem finem Sacramentum illud sit institutum, nimirum non ad alendum corpus, sed ad fidem in Deum, & charitatem in proximum excitandam, conseruandam, augendam: id quod Paulus vocat *Non dýndicare seu discernere corpus Domini*, hoc est, non satis dignè æstimare dignitatem, vsum, finem illius Sacramenti, in quo corpus Domini exhibetur. Si quis igitur nomine indignorum hos fideles intelligat, sentiatque hos verè accipere & manducare verum corpus Christi, sed ad iudicium, hoc est, non ad condemnationem quidem æternam, sed ad castigationem temporariam: articulum hunc pium esse agnosco. de ijs enim propriè loquebatur Apostolus, cum dixit inter Corinthios esse, qui indignè manducant: ac proinde illos à Deo iudicari, hoc est, puniri & castigari: ne cum hoc mundo damnentur. vbi apertum facit discrimen inter κρίμα & κατήχημα, atque inter κρίνειν & κατακρίνειν, cum ait: κρινόμενοι ὅτι, καὶ κυρίως παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν. Et pœnarum aliquot species enumerans, quibus illos qui edebant indignè, Deus Corinthi castigauerat: nullam ponit pœnam æternam, sed tantum temporariam, dicens, *Ideo inter vos multi imbecilli & invalidi: & dormiunt multi*. Nomine igitur indignè sumentium, Apostolus non intellexit homines planè impios aut hypocritas: nam omnes isti condemnantur cum hoc mundo: sed intellexit fideles, verum solutioris vitæ. Proinde si de illis intelligatur articulus, cum ait, *Hos sumere quidem & comedere corpus Domini: sed ad iudicium, quod sine pœnitentia & sine fide utantur Sacramento*: intelligo, non absolutè sine vlla omnino pœnitentia, & sine vlla omnino fide: sed sine actuali & digna pœnitentia, sineque actuali & satis excitata, exercitataque fide.

Sic

Sic etiam præter alios Bucerus interpretatus est hunc articulum cum alibi, cum in Confessione anni 44. dictata in hac Schola. cum concludisset, ijs solis præsens esse corpus Domini, qui fidem solidam habeant verbis Christi: mox subdit propositione 23.

23 *Qui enim institutum & verba Domini reijcit: is etiam exhibitionem Domini reijcit. At quia etiam ij qui verbis Domini credunt, alij Christum Dominum religiose accipiunt, alij secus: fit ut Sacramenta alij etiam ut Sacramenta, atque ideo Dominum ipsum percipiant dignè: alij indignè, ut Corinthij, quos Apostolus correptos propterea à Domino morbis & morte testatur.*

24 *Impiorum rationem haberi hic reijcimus: quanquam Deus admirabili suo iudicio nonnunquam impios etiam ad tempus fide donet, ut Christum in enigmate percipiant, & degustent ut Evangelium, ita etiam Sacramenta ipsa, Matth. 13. Hebr. 6. At qui prorsus nihil habent fidei: ijs verba Domini quibus se in Cæna exhibet, ludibrio sunt. Ut ergo illi nihil adferunt ad hæc, quàm sensum & rationem, quæ ad ista mysteria non pertingunt: ita nihil quoque cernunt, nihil attingunt in hoc enigmate & speculo huius Sacramenti, præter hoc quod sensibus patet.*

Item in altera Confessione, propositio. 49. *QVI planè impij sunt, eos nihil Christi sumere ex sacra Cæna, dico. Qui credunt, nec tamen rectè dijudicant hunc cibum: (ut Corinthij quidam ab Apostolo culpantur) ut hos non possum negare Christum fide quam habent, in Cæna percipere: ita non dixerim, eos Christum manducare: postquam fidem non ritè hic exercent suam, religiosa tantorum mysteriorum dijudicatione, quæ est spiritualis cibi huius manducatio. similes enim tales sunt ijs, qui sumtum ore cibum vel non mandunt & in ventriculum demittunt: vel demissum in ventriculum, non concoquunt, aut mox vel paulò post reijciunt.*

Neque aliter Illustrissimi Principes mihi explicare videntur articulum hunc in Præfatione ad Cæsa. Maiestatem: sic enim scribunt: *Et quod Christus cum pane & vino iuxta institutionem suam nobis Christianis suum corpus & sanguinem exhibeat.* Non aiunt omnibus, etiam planè impijs: sed *Nobis Christianis corpus Christi exhiberi.* Quatenus igitur Christiani sumus: verè exhibetur, & nos verè percipimus ac manducamus: si non veri, neque verè (hoc est efficaciter) aut ille exhibet, aut nos recipimus. Iuxta hos sensus, etiam ab indignis corpus Christi sumi & manducari, agnosco piam esse Doctrinam.

Quia verò nulla mentio fit vel in Confessione, vel in Apologia, vel in articulis Concordiæ, Oralis (ut quidam vocant) manducationis: ideo neque ego illam admitto. Si quis tamen propter Patres qui aliquando his locutionibus vsi sunt, dicat verum corpus Christi manibus tangi, & ore etiam corporis manducari: & explicet id dici propter vñionem Sacramentalem, qua fit, ut, quod propriè conuenit pani, attribuat etiam impropriè corpori Christi: (sicut etiam per communicationem *ἰδιωμάτων*, dicimus, Deum esse passum) cum hoc non ego contendero, neque talem locutionem ut planè impiam damnauero, modò (ut dixi) addat explicationem. Iuxta hanc meam explicationem, doctrinam de Cæna quæ tam in Confessione Augustana, & Apologia, quàm in articulis Concordiæ habetur: piam esse agnosco, & ut talem recepi, atque recipio.

A R T I C. X I.

Damnant etiam Anabaptistas, qui negant, semel iustificatos iterum posse amittere Spiritum sanctum.

Hic articulus, si de Electis, vereque iustificatis, deque totali (vt ita loquar) Spiritus regenerationis amissione intelligatur: doctrinam hanc admittere non possum, quod pugnet cum S. literis, Patribus etiam, Luthero, Bucero, & alijs nostri seculi doctissimis viris, quemadmodum satis copiose atque perspicue in mea Confessione vobis exhibita, demonstraui. Si verò intelligatur de Electis quidem & vere iustificatis, & de amissione Spiritus, sed non totali: non improbo: sum enim ingenue in mea Confessione falsus, in Electis vere iustificatis, cum peccant ex aliquo consensu, languescere & labefactari fidem, & alia dona Spiritus sancti: quanquam nunquam penitus ea deficiat, aut prorsus extinguatur. Si autem de Reprobis ac temporarijs, qui & ipsi ob temporariam fidem iustificati esse dicuntur, sermo hic fiat: doctrinam hanc simpliciter admitto, eos scilicet tandem omnem, etiam quam videntur habere fidem, penitus amittere, iuxta illud: *Ei qui non habet, etiam id quod videtur habere: auferetur.*

A R T I C. XII.

De confessione peccatorum docent, quod absolutio priuata in Ecclesijs retinenda sit.

Hunc articulum sicut non damno: sic neque simpliciter probo. Improbo verò si quis sentiat necessarium esse, vt in Ecclesijs omnibus retineatur priuata absolutio.

A R T I C. XX.

Quod ibi scribitur *Promissiones gratiae esse vniuersales*: si intelligatur quo ad praedicationem, quod scilicet omnibus praedicentur & praedicandae sint, & nemo per verbum Dei à promissionibus excludatur, imò quod quisque illas fide amplecti iubeatur: doctrinam hanc, vt piam recipio. Si verò quis ita intelligat, Promissiones esse vniuersales quo ad propositum Dei, & quo ad illarum complementum: non accipio, quod pugnet cum verbo Dei. Apostolus enim docet in Epistola ad Roman. non omnes esse filios promissionis, neque omnes vocari secundum propositum Dei: sed tantum Electos: neque omnium esse fidem, sed tantum Electorum. Non igitur complementum promissionis ad omnes: sed tantum ad fideles pertinet. Fides autem vera datur à Deo gratis, Electis tantum. Quare ad Electos tantum pertinent promissiones.

Quod ibi etiam scribitur de *Peccato mortali*, & alibi saepius ea vox repetitur: etsi non libenter vtor hac Scholastica voce, propterea quod omnia peccata suapte natura sunt mortalia, hoc est, adferunt mortem, pijs autem omnia sunt venialia propter fidem in Christum, qua praediti sunt, quia non imputantur illis ad condemnationem: tamen non damno simpliciter hanc vocem: sed ad eius vocis vsum adstringi nolo.

Quod etiam ibi in capite De bonis operibus, habetur: *Qui non repugnant vitiosis affectibus: sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra ipsam conscientiam: ij sunt iniusti, & neque Spiritum sanctum: neque fidem, id est, fiduciam misericordiae retinent. Nam in ijs qui delectantur peccatis, nec agunt poenitentiam: ne potest quidem fiducia existere quae quærat remissionem peccatorum.* Hoc dictum si quis fortè interpretetur de Electis & vere iustificatis, veraque & iustificante fide praeditis, idque asseueranter, quasi id quod hic scribitur, ipsi quoque Electi admittant, ideoque penitus fidem amittant: non agnosco pium esse dictum: quod Electi vere iustificati semper aliquo modo repugnant affectibus vitiosis, neque delectantur peccatis, semperque cum labuntur, labuntur per infirmitatem: & mox etiam post lapsum, dolent se esse lapsos, & resurgunt, agunt.

guntque poenitentiam: proinde non amittunt penitus fidem, propter huiuscemodi lapsus & peccata ex infirmitate admissa.

Si verò de non electis, neque verè iustificatis, qui que non habent veram & iustificantem fidem, intelligatur: ut piè dictum recipio, quanquam admitto etiam, in verè pijs, cum peccatum ex aliquo consensu, licet per infirmitatem admittunt (ut Petro contigit, cum volens negavit Christum) etsi fides non penitus deficiat: illam tamen mirum in modum languesceri. Est autem de omnibus piè dictum, si conditionaliter accipiat, sicut reuera accipiendum est.

Hæc in parte Augustanæ Confessionis prima, quæ est de dogmatibus & doctrina fidei. Quod in epilogo primi exemplaris, editi anno 31. continetur, *Nihil esse doctrinæ apud nos, quod discrepet ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est: sed dissensionem esse de quibusdam abusibus*: non recipio. Est enim dissensio de multis præcipuis capitibus Christianæ religionis.

Quod attinet ad ipsam Apologiam: præter ea quæ suprà notauimus in articulo de Cœna, in articulo etiam de iustificatione, in responsione ad argumenta aduersariorum cum explicatur locus Pauli, *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam*, ita legitur, *Quare si quis dilectionem abiecerit, etiam si habet magnam fidem: tamen non retinet eam: non enim retinet Spiritum sanctum*: si affirmatiuè de fide temporaria & de ijs qui eam habent, intelligatur dictum illud: ut piæ agnosco ac recipio: secus, fide vera & iustificante fide. Qui enim hanc habent, non abijciunt prorsus dilectionem, ideoque nec fidem. Conditionaliter tamen verum est dictum illud in omnibus.

A R T I C. I X.

Nonus articulus approbatus est, in quo confitemur, quod Baptismus sit necessarius ad salutem.

Quia idem articulus est in ipsa Augustana Confessione: ita hic sicut & illic interpretor.

Neque verò pertinet promissio salutis ad illos qui sunt extra Ecclesiam Christi, ubi nec verbum, nec Sacramenta sunt: quia regnum Christi tantum cum verbo & Sacramentis est.

Si quis articulum hunc ita intelligat, quasi promissio salutis nullo modo pertineat ad eos, qui licet sint è numero electorum, tamen baptizati non sunt, neque verbum audierunt: doctrinam hanc non recipio. pertinet enim promissio ad Electos omnes: vnde & filij promissionis appellantur, Rom. 11.

Si verò ita, ut dicamus, pertinere quidem ad Electos in ipsa electione, sed nondum re ipsa, seu nondum ipsa promissionis consecutione: admitto.

Item quod ait, *Regnum Christicum verbo & Sacramentis tantum esse*: si ita intelligatur, ut nullo modo ad regnum Christi pertineant Electi, qui nondum verbum audierunt, nec Sacramenta perceperunt: non agnosco doctrinam hanc ut piæ. Sed si ita, ut de promissione salutis etiam dixi: admitto.

De confessione & absolutione.

Quare impium esset, ex Ecclesia priuatam absolutionem tollere. Neque quid sit remissio peccatorum aut potestas clauium, intelligunt, si qui priuatam absolutionem aspernentur.

Si quis hæc verba ita accipiat, ut sentiat illas Ecclesias quæ priuatam absolutionem in templis non retinent, impiè agere: non subscribo. neque enim assentior, necessarium esse ut talis priuata absolutio in Ecclesijs habeatur aut retineatur. Si quis verò ita intelligat, non eam esse omnino damnandam, aut ex Ecclesijs ubi iam obtinet, tollendam: sententiam hanc minimè improbo.

De Missa.

Initiò hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religiosè retinere ac defendere.

Quia (sicut initiò etiam ego præfatus sum) in eam partem Augustanæ Confessionis & Apologiæ, quæ est de Ceremonijs, non consensu prorsus: iccirco hic articulus de Missa nihil ad me pertinet.

De vocabulis Missæ.

Scimus veteres loqui de oratione pro mortuis: quam nos non prohibemus,

Ego orationes pro mortuis, simpliciter probare non possum, quòd nullum testimonium aut exemplum in Scripturis habeam: præsertim si vocem orationis propriè accipias, non autem pro gratiarum actione.

*Consensus inter Theologos & Professores in Ecclesia & Schola
Argentinenſi: factus anno Domini M. D. L XIII.
die XIX. Martij.*

Duo sunt præcipuè capita controuersie inter Pastores Ecclesiæ, & Professores Scholæ Argentoratensis exorta: alterum de Cæna Domini, alterum de Præscientia & Prædestinatione Dei.

Quod ad Cænam Domini attinet: pius consensus constitutus est, ut pariter in Schola & in Ecclesia conformiter alijs pijs Ecclesijs & verbo Dei, iuxta Augustanam Confessionem anno 1530 Imperatori Carolo V. à Principibus & alijs quibusdam Imperij Rom. ciuitatibus exhibitam, & adiunctam Apologiam, Numburgi ab Electoribus & Principibus Imperij denudò subscriptam, doceatur. Eaque sit norma & regula totius doctrinæ non tam de Cæna Domini, quàm & reliquis articulis omnibus, ex verbo Dei sincero & incorrupto, in Scholis & Ecclesijs docendi.

Ad tollendam verò de sententia commemoratæ Confessionis in negotio Cæne dissensionem: cum utraque pars veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi credat & confiteatur, quæ cum pane & vino exhibentur, & in Cæna vescentibus distribuuntur: ne diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat: placuit ut formulam Concordiæ inter Martinum Lutherum, & Martinum Bucerum pie memorie, Saxonicarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum ministros initam, omnes in docendo sequantur.

Quod initiò huius consensus habetur, ut Augustana Confessio sit norma & regula totius doctrinæ: intelligo ut sit norma totius doctrinæ de Articulis qui ibi explicantur, & Carolo V. Imperatori fuerunt propositi: ne scilicet aliquid diuersum ab illis rectè intellectis doceatur. Ceterum hinc non prohibetur quin ipsa sacra Scriptura, sicut in se est, sic nobis debeat esse sola regula totius Christianæ doctrinæ de omnibus articulis, qui in Ecclesia & Schola Christi proponi debent. Eodem modo intelligo id quod ibi sequitur: formulam scilicet de Cæna docendi eam sequendam esse, quæ fuit facta inter Martinum Lutherum & Martinum Bucerum. Hoc ita intelligo, ut (quo ad eius fieri potest) ijs utamur locutionibus: sed in eum sensum, quem exposui, intellectis & explicatis. Neque aliter interpretor eam, quæ de Prædestinatione formula sequitur: ut videlicet secundum illam iuxta sacras Literas explicatam, pariter in Schola & Ecclesia doceatur. Sic autem ego illam piam esse iudico, si ita explicetur quemadmodum sequitur.

De præscientia & de prædestinatione Dei secundum formulam sequentem pariter in Schola & Ecclesia doceatur.

De Prædestinatione.

I. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Rom. 15.*

Hic est vnus finis cùm conditarum rerum omnium, tum reuelatarum Scripturarum: salus scilicet Electorum: sed alter, isque præcipuus, est gloria Dei, quem admodum Paulus alibi docet. Proinde in primis semper tum cùm docemus, tum cùm scribimus, tum cùm aliquid aliud agimus: quærenda est gloria Dei: secundo verò loco, salus Electorum: etiam si inde reprobi maiorem fumant sibi occasionem sese perdendi. Neque enim doctrina, qua gloria Dei illustratur, ideo dissimulanda est, quia illa reprobi magis atque magis indurantur & pereunt: cùm etiam ipsorum perditio ad Dei gloriam faciat. Neque aliter docuit Paulus. Quanquam hoc etiam verissimum est: nihil in Scripturis de Reprobis dici, quod sicut ad gloriam Dei, sic etiam ad salutem Electorum non faciat: ut etiam Rom. 11. patet. Quare verum est simpliciter: *Quæcunque scripta sunt: ad nostram, nostrum scilicet Electorum, doctrinam scripta esse.*

II. *Omnis igitur docendi ratio cùm in Schola, tum in Ecclesia ita instituenda est, ne aut cum doctrina pœnitentia pugnare, aut conscientijs afflictis consolationem & spem suam adimere videamur.*

Doctrina sacrarum Literarum, sicut de reliquis articulis: ita etiam reuera de Prædestinatione Sanctorum, & Impiorum reprobatione: minimè pugnat cum pœnitentia: nec afflictis conscientijs veram adimit consolationem. imò maximè & illam confirmat, & hanc affert. Est igitur tota S. literarum doctrina ita tradenda atque explicanda, sicut etiam est à Spiritu sancto tradita in sacris Biblijs, vt ut reprobi ea offendantur. quia semper electis prodest. Quantum verò nobis salua doctrinæ veritate licet: semper ita sermo instituendus est, vt hic articulus docet.

III. *Constat autem ex verbo Domini, æternam Dei esse præscientiam: qua res omnes præsentibus habeat. coram ipso enim nihil præterijt aut futurum est. Ita est.*

IV. *Sic quoque est æterna Dei Prædestinatio, qua ad Electos pertinet: facta prius quàm mundi fundamenta iacerentur. Rom. 9. Ephes. 1.*

PRAEDESTINATIO propriè de Electis dicitur: sed quin etiam æterna reproborum ad suum finem destinatio, Prædestinatio dici possit: articulus non negat, cùm Augustinus & alij post illum Patres in hunc sensum ea voce sæpenumerò vtantur.

V. *Hæc autem cùm sit abyssus, & extra Christum considerata in præcipitium inferni ducat: non nisi in Christo quærenda est, sicut scriptum est: Elegit nos in Christo, prius quàm mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1.*

Hoc ita certum est, vt qui vnquam id negauerit, sciam inter Christianos neminem.

VI. *Eo igitur modo quærenda est, quo nobis à Christo reuelata est.*

Hoc etiam est ita perspicuum, vt id negare nemo possit.

VII. *Est autem in verbo Euangelij reuelatum æternum Dei decretum, Sicuti vniuersum humanum genus per peccatum in iram Dei & indignationem incurrit: ita quotquot in Christum Filium Dei & hominis pro peccatis totius mundi passum credunt, gratiam Dei & vitam æternam consequantur.*

Hic non definitur illud æternum Dei decretum de certis hominibus in Christo saluandis, quod Prædestinationem appellamus, & de quo Rom. 8. Ephes. 1. & alibi (in illo enim ipsa quoque fides, & quidquid ad salutem pertinet, continetur) sed

explicatur decretum de modo quo voluit & vult Deus vt Euangelium prædicetur & sic docuit Christus atque Apostoli, & inter alios Paulus prioribus quinque capitulis ad Romanos: de decreto verò quod est Prædestinatio, cap. 8. 9. 11.

II X. Promissiones igitur cum sint vniuersales, quibus Deus hanc gratiam suam offert: ideo nemo seipsum excludat: sed cum pariter omnes peccauerimus, omnes ex æquo salutem oblatam apprehendamus.

Vniuersales sunt promissiones: quia vniuersis hominibus ex æquo proponuntur & proponendæ sunt. Ideo autem vniuersaliter proponuntur & proponendæ sunt, vt vniuersi fide illas recipiant: & quidem illas fide amplecti vniuersi & singuli homines iubentur. Si quis igitur se ab istis, quasi ad se non pertineant, excludat: suo id facit vitio & peccat. Non negat tamen articulus quin ad solos electos reuera pertineant promissiones de æterna vita: quia ipsi soli reipsas fide à Deo donati, tanquam ad se pertinentes recipiunt: vt Paulus docet ad Rom.

IX. Verissima & summa afflictarum conscientiarum consolatio, eaq; vnica, in ijs promissionibus comprehensa est: Vno ego, nolo mortem peccatoris. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Ezech. 18. Et Christus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Matth. 11.

Vnica appellatur consolatio: quia in hoc summa Euangelij posita est: quòd Deus in verbo reuelato nolit mortem peccatoris (qui se agnoscit peccasse, & cupit salutem) sed magis vt conuertatur, nempe ad Christum: & viuatur, nimirum per Christum. Non negat autem articulus quin Deus velit mortem etiam peccatorum, eorum qui vel se nunquam agnoscunt peccatores: vel, si aliquomodo agnoscant, non sitiunt tamen salutem, ideoque nec conuertuntur ad Christum. Soli autem electi conuertuntur: & quidem Dei gratia: soli reprobi non conuertuntur: & quidem suo vitio. Deus autem ab æterno vtrunque præiudicat. Non negat igitur Articulus, Deum ab æterno electorum tantum voluisse salutem: impiorum verò iustum interitum.

X. Fides autem qua oblatam Dei hanc gratiam vniuersaliter omnibus promissam accipimus: gratuitum Dei donum est, mera Dei misericordia, nullo operum nostrorum respectu data: sicut scriptum est, Vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis: sed etiam vt pro illo patiamini. Philip. 3.

Quidquid autem nunc dat Deus vel non dat: ante mundi constitutionem sedaturum vel non daturum præsciuit ac præfiniuit. Deum igitur ante mundi constitutionem, constituisse, fidem dare quibusdam, hoc est, illis quibus dat, & quibusdam non dare, illis nimirum quibus non dat: negari minimè potest. Quare iste articulus statuit certum numerum Electorum, quibus donanda erat fides, & per fidem vita æterna: & certum numerum reproborum, quibus fides non erat donanda, ideoq; nec vita æterna.

XI. Quòd autem hæc gratia, siue hoc donum fidei non omnibus à Deo datur, cum omnes ad se vocet, & quidem pro sua bonitate seriò vocet, Venite ad nuptias, omnia parata sunt: arcanum est soli Deo notum, nulla ratione humana peruestigabile: mysterium tremendum & adorandum: sicut scriptum est, O altitudo diuitiarum, Rom. 11. Et Christus gratias agit Deo Patri, quòd hæc abscondiderit à sapientibus, & reuelarit paruulis. Matth. 11.

Duo hîc sunt explicanda: Et quòd Deus omnes seriò vocet: Et quòd causa, cur Deus, cum omnes vocet, non omnibus tamen dat fidem, arcana sit & soli Deo nota. Ad primum quod attinet: quanquam illud *Seriò* in Scripturis non inuenio: non tamen damno, sed intelligo (sicut intelligendum est) quo ad voluntatem reuelatam: quatenus scilicet externa Euangelij prædicatione ita omnes ad se vocat Deus, vt neminem excludat, neminique illudat: quasi verò aliquem vocet quem postea, si vocanti assentiatur, nolit ad se atque in gratiam suam recipere. Ceterum quoad

arca-

arcanam voluntatem: non omnes eodem proposito & in eundem finem à Deo vocari, negari non potest, nisi quis velit contra Apostolum negare, quosdam & non omnes vocari secundum propositum. cum enim ait Apostolus Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti: duplicem esse docet Dei vocationem, vnam secundum propositum, & hac vocari electos: alteram non secundum propositum, & hac vocari etiam reprobos: & illos quidem, vt salui fiant, hos verò, vt reddantur inexcusabiles, cum & ipsi ita externa prædicatione vocentur, vt si vocanti non assentiantur & ita non seruentur, id suo ipsorum planè fiat vitio.

Quod verò ad alterum attinet: illud intelligo de remota & vltima causa. nam quo ad causam proximam & immediatam: ea manifesta est in Scripturis: nempe id eò, licet omnes vocantur, non omnibus tamen donari fidem, quia non omnes sunt electi, neque omnes sunt ex Deo. *Multi enim sunt vocati, at pauci electi. & Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis. Item, Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Ceterum quia specialis causa, cur hos elegerit, & illos non elegerit, soli Deo nota est: cur autem detur alicui fides, & alicui non detur, id pendet ab electione: Incircò articulus ait, Causa cur donum fidei non omnibus detur à Deo, cum tamen omnes vocentur: arcanam nobis esse, soli verò Deo notam, & mysterium tremendum. Et in hunc sensum, dictum illud pium agnosco, & vt pium recipio.

XII. *Interim afflictæ conscientie in voluntatem Dei in Christo reuelatam respiciant, qui omnes peccatores ad se vocat.*

Hoc certè officium est nostrum: vt, cum vocamur, minimè quænam de nobis sit voluntas Dei arcana, inuestigemus: sed in voluntatem reuelatam intenti, vocationem sequamur, certi ac persuasi, nos serìò, hoc est, secundum propositum, & sine vlla illusione ad salutis in Christo communionem vocari: alioquin iniuriam Deo insignem fecerimus ni ita credamus.

XIII. *Neque verò propterea dicendus est Deus velle peccatum: dum peccatorum voluntatem & viam non semper impedit, sed permittit eos in peccatis perseverare. Verè enim Deus odit peccatum: cuius autor est diabolus: qui in veritate non permansit. Ioan. 8.*

Illud velle pro approbare, & de voluntate reuelata intelligendum esse: docet ratio quæ subditur: *Verè enim Deus odit peccatum.*

Ceterum peccatum contingere contra absolutam Dei voluntatem, quasi inuito Deo aliquid fiat: articulus non docet: imò contrariam veramque sententiam confirmat, cum ait, *Deum peccatorum voluntatem & viam non semper impedire.* non impedit igitur, quia nō vult impedire. ac proinde nihil fit contra omnipotentissimam eius voluntatem: licet multa fiant contra illam Dei voluntatem, quæ nobis semper in omnibus actionibus spectanda est atque sequenda.

XIV. *Deus autem horribiliter peccato irascitur, prohibet, & iram suam omnibus transgressoribus Legis suæ minatur. Non es Deus volens iniquitatem. Odisti omnes qui iniquitatem operantur. Psal. 5.*

Hoc est certissimum. proinde semper cauendum est ne peccemus. & ad hoc studium vocant nos omnes Scripturæ. *Hæc scribo vobis* (inquit Ioannes) *vt ne peccetis.*

XV. *Ea autem est Dei bonitas: vt malo quod permittit, bene & ad nomen sui gloriam vt possit: sicut scriptum est: In hoc excitauit te: vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Rom. 9. Exod. 9. Item quando peccatum peccato punit. Rom. 1.*

Duo hic tradit articulus. I. quòd Deus mala permittat. II. Quòd illis bene vti possit pro sua bonitate. Quod primum attinet: intelligo, Deum non ita permittere mala quasi otiosus tantum sit spectator eorum quæ fiunt: sed ita permitte-

re, ut ipse sua omnipotente manu omnia in omnibus operetur: ut Scriptura docet: non quidem quatenus mala, hoc est, peccata sunt, sed quatenus actiones quædam sunt, & pænæ aliorum peccatorum: hominibus, bonas Dei in se actiones, sua malitia contaminantibus, & in peccata sibi vertentibus. Et sic esse intelligendum hunc articulum: docet tum locus Pauli de Pharaone: tum illud dictum, Quod Deus puniat peccata peccatis.

Quod ad alterum: intelligo, Deum ita posse uti malis ad suam gloriam, ut re ipsa semper utatur. Quare non loquitur articulus de potentia Dei otiosa, sed de potentia activa, hoc est, qua re ipsa agit & moderatur omnia.

XVI. *Neque verò peruersè quis colligat inde, se se vas iræ esse à Deo ad interitum formatum & præparatum, qui deceptus à Sathana & carne sua se multis peccatis polluit: quin potius illud Apostoli consideret, Si quis emundarit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile domino, ad omne opus bonum paratum. 2. Timoth. 2.*

Hunc articulum ita intelligo, & ita intellectum probo: quod nemo, etiam si videat se labi in peccata, debeat existimare se esse vas iræ aptatum ad interitum, & ideo peccare, quasi sit tale vas: hæc enim opinio & impia est & perniciosa: Impia, quia è Scripturis, quæ solæ sunt spectandæ, nemo colligere potest, se esse vas iræ aptatum ad interitum: proinde qui ita cogitat, peccat in verbum Dei. Perniciosa, quia & licentiam & desperationem adfert, ideoque ad interitum ducit. Sed contrà debet quisque sibi persuadere, se esse prædestinatum ut sit vas in honorem: ac proinde pro viribus conari ne se peccatis polluat, sed totus in hoc incumbat, ut imaginem Dei perditam, quæ posita est in iustitia & sanctitate vera, recuperet: atque hac ratione debet tum sibi tum alijs apertè declarare, se vas esse honoris & non contumeliæ. Est igitur cuique vitanda dubitatio de sui electione, multò magis perniciosa & impia opinio quod sit ex numero reprobatorum.

XVII. *Nec sibi quisque propter electionis gratiam, quam in se ipso senserit, ita ad blandiatur, ut in peccata & scelera contra conscientiam ruat: sed Apostoli admonitiones semper ob oculos positas habeat: Si secundum carnem vixeritis: moriemini. & iterum, Nolite errare: Neque scortatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. Corinth. 6. Gal. 5. Huc eiusdem Apostoli dictum pertinet. Qui existimat, se stare, videat ne cadat. 1. Corinth. 10. Et iterum, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis eius. Rom. 6.*

Hic articulus prudenter superiori fuit annexus. sicut enim abigenda est impia dubitatio de sui electione: ita etiam vitanda est perniciosa carnis securitas: quam securitatem nostræ carnis ingenium (quod rebus omnibus bonis in Spiritus perniciem, quo ad eius potest, abuti solet) concipit nonnunquam ex pia cogitatione, de nostri electione ac salute. Est igitur cum certitudine nostræ salutis & electionis coniungendus timor de nobis ipsis: & in arcem securitatis Spiritus, ubi tuti in promissionibus Dei quiescimus, præcludendus est aditus securitati carnis, quæ nos in omne genus flagitia nostræ nature nimium propensos, præcipitare nonnunquam solet. Articulus igitur iste, etiam si prohibeat securitatem carnis: non damnat tamen securitatem Spiritus & fidei. Atque hoc modo doctrinam hanc ut piã, agnosco atque recipio.

XVIII. *Qui enim concupiscentiis obediunt: fidem, quæ fiducia est in misericordiam Dei per Christum & in Christo promissam, excutiant, & Spiritum sanctum amittunt: ac tam diu sub tyrannide peccati sunt, donec pœnitentiam agant, & per Spiritum Christi iterum erigantur.*

In priori exemplo, quod mihi fuerat legendum, antequam subscriberetur, exhibitum: ita habebat ad verbum, uti hîc est descriptum: proinde cum etiam re-
probi

probi multi fide quadam donentur simili admodum fidei Electorum, articulum hanc tam de Electis, quàm de Reprobis intelligebam. Si igitur hæc propositio tam de Electis, quàm de Reprobis conditionaliter intelligatur: sicut reuera conditionalis est: simpliciter verissima est atque certissima, nimirum, quòd si quis (quisquis ille sit, siue electus, siue reprobus) verè & iuxta propriam verbi significationem, obedit concupiscentijs, hoc est, ex animo, destinataque malitia peccat: amittit fidem; & Spiritum sanctum, à quo sanctificabatur, penitus excutit: idque propterea quòd fides cum huiusmodi flagitijs nullo modo consistere potest. Ceterum non hinc consequitur, sicut reprobi temporarii huiusmodi scelera admittunt: ita electos eadem quoque admittere. Si verò asseueranter intelligatur, posse nimirum tam Electos quàm reprobos concupiscentijs obedire, fidem amittere, & Spiritum sanctum excutere: veram quidem esse affirmo: sed non eodem modo de vnis, quo de alteris intelligendam esse dico: cum magnum discrimen sit, primùm inter fidem qua Electi, & inter eam qua reprobi à Deo donantur: deinde discrimen cum sit inter peccata in quæ labuntur Electi: & inter illa quæ admittunt reprobi: seu inter illorum, & istorum obedientiam, qua dicuntur obedire concupiscentijs: ac proinde postremò, maxima cum sit differentia inter illam amissionem qua Electi, & inter illam qua reprobi dicuntur amittere fidem & Spiritum sanctum. Ac primùm quidem fides Electorum, est vera & viua, ideoque & perpetua: Reproborum verò etiam si non nunquam similis admodum fidei Electorum esse videatur, temporaria tamen est (vt in Euangelio docet Christus) ideoque nec vera nec viua. Et Electi donantur Spiritu verè regenerante: reprobi verò primitijs quibusdam huius Spiritus: sed nunquam verè & perfectè regenerantis.

Deinde impij reprobi verè obediunt concupiscentijs peccati in se regnantis: quia illud amant, illi sine vlla contradictione obtemperant, eoque planè delectantur, vt ideo cupiāt æternum viuere (vt ait D. Gregorius) quo possint sine fine peccare, seu peccato in æternum seruire: Electi verò etiam si non nunquam admittant ea ad quæ à peccato inhabitante impelluntur, idque ex aliquo consensu: minimè tamen propriè peccati concupiscentijs obedire dici possunt. peccatum enim non amant, sed odio habent, illique semper repugnant Spiritu: atque ita repugnant, vt perpetuum sit eis bellum cum peccato, vt Paulus docet, perpetuam esse pugnam in pijs inter carnem vbi inhabitat peccatum, & inter Spiritum vbi inhabitat Spiritus Christi & regnat. Proinde verbum illud *Obedire concupiscentijs*, cum ad electos transfertur: κατὰ χριστιανῶς intelligendum est: peccato enim obediunt vt tyranno, non vt regi, ideoque partim volentes, partim nolentes obediunt. Postremò Electi nunquam penitus amittunt fidem, hoc est, illam vim à Spiritu sancto infusam, qua tum toti verbo Dei, tum speciatim Euangelio Christi credunt, eoque fiduciam de certa peccatorum propter Christum remissione, concipiunt: non amittunt inquam penitus: quòd Deus in illis perpetuò semen fidei conferuet: tum propter promissiones suas hac de re factas, tum propter precationem Christi: amittunt autè ex parte non nunquam: nempe cum actu peccant: præsertim ex consensu, licet non pleno. quomodo? quatenus per consensum, in peccatum, cum ille actus fidei seu fides actualis, quæ fiducia est de remissione peccatorum omnium, planè è mente expellitur & euanesceat: tum ipsa virtus fidei concutitur & languescit, atque infirmatur: quemadmodum cum à terræ motu & fulmine, tum tectum domus decedit, tum fundamentum concutitur & debilitatur. Reprobi verò omnem penitus fidem illam quam habent, temporariam, amittunt: iuxta illud, *Et qui non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur*. Quatenus igitur articulus iste de reprobis intelligitur: nomine fidei & fiduciæ intelligo fidem & fiduciam temporariam: ideoque non veram. Nominè verò Obedientiæ: intelligo propriè obedientiam illam, qua ex animo & tota

volunta-

voluntate concupiscentijs peccati tanquam mandatis proprii & amati regis sine vlla repugnantia obtemperatur: ac proinde etiam nomine Amissionis fidei, intelligo totalem totius fidei amissionem. Atq; iuxta hunc sensum piam esse propositionem, sicut semper docui, ita etiam nunc fateor.

Quatenus verò de Electis intelligi potest: piam esse agnosco iuxta hunc sensum, quòd cum peccant, præsertim ex consensu, fidem, hoc est, actualem (vt explicat articulus) fiduciam amittant, cum actus peccati ex consensu admissi, consistere nequeat cum actuali fiducia de remissione peccatorum: fidei autem vim non penitus quidem amittant, sed tamen ita concutiant & labefactent, vt non nunquam penitus extincta ferè esse videatur, hæc verò denuo excitatur ad nouum fiducia actum noua verbi prædicatione, & Sacramentorum administratione, alijsque medijs, quibus vtitur Deus ad excitandam in cordibus Electorum fidem. Atque iuxta hunc sensum propositionem hanc, etiam cum de Electis intelligitur, piam esse, vt semper noui, ita etiam nunc agnosco, & vt piam recipio.

Quia verò primo exemplari horum articulorum postea additæ fuere hæc duæ voces, *viua & vera* (id quod, cum ad subscriptionem accederetur, me prorsus latebat) & ita legitur, *Fidem quæ est fiducia viua & vera amittunt*: in solis autem Electis vera & viua potest esse fides: iccirco de Electis tantum, hunc articulum video esse intelligendum. Quomodo autem si de Electis intelligatur, agnoscam illum esse pium: iam antè explicatum est: primum quidem, si conditionaliter intelligatur: deinde si etiam sine conditione, quatenus Electi propter actualem consensum in peccatum tum actuale fiduciam de remissione peccatorum planè excutunt: tum ipsam fidei virtutem, etsi non penitus amittant, ita tamen concutunt, vt mirum in modum debilitetur & languescat. Ita verò intelligendum esse articulum: docet etiam postrema particula: *Et tamdiu manent sub tyrannide peccati, donec per Spiritum Christi iterum erigantur*. Intelligit igitur, Electos vnà cum sua fide, cum peccant, concidere quasi in lucta cum peccato, atque ita concidere vt resurgere nequeant, nisi per Spiritum sanctum denuò erigantur. Sic etiam Lutherus loquitur: *Obtinente fide peccatum scilicet actuale euanescere: obtinente verò peccato fidem iacere*, nimirum quasi vulneratam atque prostratam. In hunc igitur sensum articulum hunc, vt pium recepi.

XIX. Cum autem duplex finis sit doctrinæ & disputationis de Prædestinatione, alter, vt gratia Dei, qua iustificamur sola, contra vires humanas & liberi arbitrij asseratur, in quam sententiam D. Augustini, Lutheri, & Bucer scripta extant: alter, vt in lucta carnis & Spiritus firmam consolationem afflictæ conscientie habeant, videlicet salutem non in suis ipsorum, quibus facile excuti posset, sed Christi manibus consistere: sicut scriptum est, Oves meas nemo rapit e manu mea: Ita in utroque oratio componenda est, ne aut altius euolemus quàm reuelata in Christo voluntas Dei permittat: aut nimium eam deprimamus, quò viribus humanis vel modicum tribuatur.

Totum hunc articulum simpliciter, vt pium agnosco: & vt pium recipio: præsertim si nomine reuelatæ voluntatis nil aliud intelligatur, quàm (sicut intelligendum est) ipsum Dei verbum in Scripturis reuelatum. Atque eò magis pium agnosco, quòd probant D. Augustini, Lutheri, & Bucer scripta de Prædestinatione.

XX. Quapropter phrasès duriores, in Scripturis non usurpatas, quibus partim etiam Ecclesiastici Scriptores veteres & neoterici vsi sunt: vel declinemus prorsus, vel ita temperemus, ne in commemoratos scopulos, Pelagianismi, aut Epicureismi impingamus.

Salutare consilium. Neque ego aliter vnquam faciundum esse iudicaui.

XXI. Parcè etenim & admodum sobriè hoc summum salutis nostræ mysterium in Scriptura traditur. passim verò & in omnibus locis reuelata voluntas, quæ abscondita contraria non est, proponitur: ad quam omnes homines reuocantur, in qua etiam tutissimum est acquiescere.

Di-

Dictum hoc intelligo comparatiuè: doctrinam nimirum de Prædestinatione, parçè in Scripturis tradi, prout reuelata voluntas, hoc est, doctrina legis, & veræ, quam à nobis Deus exigit, pœnitentiæ, inculcatur. Ceterum non totam de Prædestinatione, Reprobatione, Prouidentiaque Dei doctrinam, quæ in S. literis traditur, his articulis contineri: manifestum est. Si igitur aliquid præter hos de Prædestinatione articulos è S. literis docuero: minimè contra hanc formulam me docuisse, testatum volo.

Habetis hic obseruantissimi Domini: non tam subscriptionis meæ, quàm totius illius doctrinæ, in quam nuper consensi, explicationem & confirmationem. Ex quibus facilè vobis patet, me noua illa subscriptione neque priori causa cecidisse, neque priorem sententiam tam de Cœna Domini, quàm de Prædestinatione & Perseuerantia Sanctorum, mutasse: neque quidquam contra propriam conscientiam fecisse.

Ego verò principio vobis testor, me serio pacis studio adductum, cum illis tribus exceptionibus quas paulò antè commemorauì: in hanc quam modò explicauì, doctrinæ formulam, ex animo consensisse: quòd, si æquum habeat interpretem, nullam mihi sapiat hæresin aut impietatem: ac proinde illam denuo subscriptionem meam eadem ratione confirmo. Deinde promitto, me (quemadmodum hætenus etiam feci) & vsurum ea diligentia simul & dexteritate in docendo, quæ Christianum Theologum decet: & veræ paci atque concordia pro mea parte eam daturum operam, quam non tantum vos, sed Dominus ipse Iesus Christus à me postulat. Atque ita vtrunque promitto, vt etiam paratus semper futurus sim pœnas libenter dare, nisi & doctrinæ à me tradita, & totius officij mei, vbicunq; opus fuerit: rationem reddidero. Tantum hoc à Vobis peto, vt mihi per vos liceat liberè tum S. literas interpretari: tum Christiana dogmata quæcunque occurrerint, explicare: tum meas tam interpretationes quàm dogmatum explicationes in Scholis (vt semper moris fuit) publicis disputationibus defendere: & si quidem contrà sentiant alij, iubeantur prius amicè mecum agere, explicationesq; & rationes meas audire, quàm ad accusationes decurrat: & si accusent, cogantur accusationes probare, & mecum aut in amicam colloctionem, aut in Scholasticam disceptationem venire: neque permittantur quæ in Schola sunt inter doctos discutienda, ea ad indoctam plebem indiscussa deferre, odiose proponere, & tanquam iudicata damnare: & erga nos idem vsurpetur, quod etiam maiores vestri aduersus Papistas statuerunt anno M. D. X X I I X. (vt certissimus rerum vestrarum testis piæ memoriæ Ioannes Sleidanus scriptum reliquit libro suæ historiæ sexto) nimirum vt qui alterum improbet & impia docere dicat, neque causæ cognitionem admittat, hoc est, neque in colloquium, neq; in disputationem venire velit cum aduersario: is docendi munus posthac ne exerceat. Sunt hæc omnia quæ peto & rogo (vt videtis) iustissima atque æquissima. Quæ si à vobis impetrem: & ego libenter vobiscum manebo, & vos (vt confido) vel nulla posthac, vel certè non diuturna videbitis inter vestros professores dissidia. Si verò non possim hæc impetrare: quia per conscientiam non possum alia ratione hîc esse: cum bona vestra venia, actis prius gratijs pro vestra

erga me beneuolentia atque humanitate, multisque præstitis beneficijs

honestam peto missionem. Dominus Iesus vos suo Spiritu

sapientia & fortitudinis atque iustitiæ

semper regat.

